

est. Unde comitas requirit, ut interdum alium corrigā-  
 mus, vituperemus. Non enim omnis inquit Augustinus,  
 est amicus, qui parcit, neq; omnis, qui verberat, inimicus,  
*Meliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici.*  
 Melius est cum severitate diligere, quàm cum lenitate de-  
 cipere. (3.) Personæ Qualitatem adspicere virum Comem  
 oportet. Non peræque omnibus se affabilem præbeat. *Superioribus*,  
 qui honore aliquò publico & dignitate sunt  
 præditi, præstat & offert obsequium; *Inferioribus*, officium,  
 benevolentiam, & humanitatis studium; *Equalibus*,  
 consensum. Ita aliter ergà notos, aliter ergà ignotos sese  
 gerat. Quo in genere laudem reportavit apud antiquos  
 Aristippus, qui fuit homo omnium horarum, qui cujusq;  
 moribus obtemperare se poterat, (4.) discernat inter fu-  
 turum & præsens; Hinc si quid indecens aut minus hone-  
 stum occurrit, amicè alios admonet & reprehendit, nec  
 metuit offensionem, quippe qui non tantum præsentem,  
 sed etiam futuram spectat voluptatem.

§. VII. Extrema hujus virtutis sunt: In excessu ἀρέ-  
 σκεια, nimium placendi studium, blanditia seu assentatio;  
 in defectu δυσκολία seu morositas. Illius sectatores dicun-  
 tur ἀρεσκοί, κόλακες; it. υνιόβαι, γλωσογάστρες, Assentatores,  
 Adulatores Palpatores, Gnathones, Parasiti, qui omnia  
 in gratiam alterius laudant, nullâque in re adversantur,  
 seipos magnificiunt, incautiores blanditiis suis delici-  
 unt & demulcent, qui hodiè quid ajunt probantque, cras  
 negant idemq; improbant bonos, quos ferre nō possunt,  
 calumniis opprimunt, qui quomodo à veris amicis dif-  
 ferant, vide apud B. Heiderum in System. Philios. Moral. part.  
 2 p. m. 715. Hujus vitii verò sectatores vocantur δυσκολοί,  
 μισανθρώποι, δυσχεραίνοντες, δίσπειδες, Φιλονεικοί, morosi, ri-  
 xosi, inhumani, importuni, qui in omnibus contrari